



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Illvstrissimo Ac Reverendissimo Domino, Domino Petro Portocarrero
Episcopo Conchensi, Ac Svmmo In Regnis Hispaniæ Hæresos Inqvisitori,
&c. Gabriel Vazquez S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)



ILLVSTRISSIMO

A C

REVERENDISSIMO DOMINO,

DOMINO

PETRO PORTOCARRERO
EPISCOPO CONCHENSI,

A C

SVMMO IN REGNIS HISPANIÆ

HÆRESEOS INQVISITORI, &c.

GABRIEL VAZQUEZ S. D.



*Q*VM nihil mihi antiquius sit, quam quæ vel
voce docui, aut prælis mandavi, & mandabo,
ea cuncta S. R. Ecclesiæ censura, atq. astimatio-
ni submittere, tum nihil mihi optatius esse po-
test, quam si lucubrationes meas tuo, Præsul
Amplissime, tuorumq. Collegarum iudicio
comprobari intelligam. Quod ut facilius, cer-
tiusq. assequer, primum hunc Tomum eorum
Commentariorum, quos in uniuersam Summam Theologia S. Thomæ
hinc edere exordior, multis nominibus tuum, tuo in primis nomini di-
catum esse volui, tum quia primus est, multumq. ac diu expectatus, at-
que adeo non peructus tua erga me beneficentia modo, sed splendori
tuo, & nobilitati, atque amplitudini debitus: tum quia præter alia, quæ
S. Thomas initio huius Primæ Partis de Deo grauitè, & acutè dispu-
tat, continet nobilem illam controuersiam, quæ abhinc annos quatuor
circiter tantam inter nobilissima ingenia virosq. doctissimos genuit dis-
sensionem, atque discordiam, ut ad eam sedandam vestra auctoritate,
Summiq. Pontificis nutu opus planè fuerit. Controuersiam inquam it-
lam, quam peperit duplex illa, quæ tum in tractatu de Gratia Dei, tum

in eo, qui de prædestinatione est, agitur questio, an videlicet, ex duobus aequali gratia præuenientis contingat alterum respondere, aut resistere vocationi, & alterum non. & utrum, ex parte gratia præuenientis præter vocationem congruam necessaria sit applicatio alia voluntatis, ut ea consentiat vocationi, an non. Quibus de rebus cum post quadriennale silentium sine suggillatione, & censura alterius opinionis disputandi, & scribendi nobis per Summum Pontificem potestas iam facta sit, operapretium me facturum existimaui, si mea de eisdem rebus sententia, quam trado in extrema huius voluminis parte, atque adeo ipsimet volumini te patronum clarissimum, & defensorem adsciscerem, ut quæ per se alioqui pluribus (ni fallor) placitura sunt, nominis tui umbra, & patrocínio aucta latius aliquanto, & alacrius in lucem exeant. Nec sanè nihil (ut planè dicam, quod sentio) profuere Scholis nostris prædictæ inter viros doctissimos exorta controuersia, & mox silentium iisdem Summi Pontificis, & vestri autoritate indictum: nam quemadmodum iis usu venit, quibus sitientibus, aut esurientibus potus, aut cibus denegatur, ut protinus maiore siti, aut fame stimulentur, ita qui harum questionum rudes omnino, & ignari erant, ubi sibi easdem percipiendi facultatem ademptam viderunt, incredibili continuo desiderio earumdem intelligentiam haurire velle cœperunt: qui vero aliquam iam de iisdem cognitionem partam habebant, multo plenius easdem opiniones intelligere, & qua in re potissimum controuersia nodus (ut aiunt) consisteret, & quibus rationum momentis partes ipsæ fulcirentur, ardentius scire gestierunt. Quare cum per sese studiorum ingenia satis excitata sint ad amplectendum, & insudandum iis libris, ex quibus earum, quas commemorui, controuersiarum cognitionem haurire se posse sperant, visum est mihi, aut nulla, aut perbreui omnino commendatione hæc nostra scripta indigere, præsertim apud te, Præsul Clarissime, qui me, & mea omnia non in infimo loco habere consueuisti: quamquam si tuo iudicio opus hoc (ut spero) comprobatum fuerit, summam te eidem commendationem apud omnes conciliaturum esse, certo scio. Vale.